Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dens et ihc dixit. Respondens quid petatis. Potestis bibere calicem? quem ego bibiturus sum? Dicunt ei. Possumus. Ait illis. Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam et sinistram non est meum dare uobis: sed quibus paratum est a patre meo. Et audientes decem: indignati sunt de duobus fratribus. Ihc autem uocauit eos ad se: et ait. Scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter uos: sed quicumque uoluerit inter uos maior fieri: sit uestrum minister. Et qui uoluerit inter uos primus esse. erit uestrum seruus: sicut filius hominis non uenit ministrari sed ministrare: et dare animam suam redempcionem pro multis. Feria v. Jeremie prophete.

Hec dicit dominus deus. Maledictus homo qui confidit in homine: et ponit carnem brachium suum. et a domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrice in deserto. et non uidebit cum uenerit bonum. sed habitabit in siccitate in deserto: in terra salsuginis et inhabitabili. Benedictus uir qui confidit in domino: et erit dominus fiducia eius. Et erit tamquam lignum quod transplantatur super aquas. quod ad humorem mittit radices suas. et non timebit cum uenerit estus: et erit folium eius uiride: et in tempore siccitatis non erit sollicitum: nec aliquando desinet facere fructum. Prauum est cor hominis et inscrutabile: quis cognoscat illud? Ego dominus scrutans cor et probans renes: qui do unicuique iuxta uias suas et iuxta fructum adinuencionum suarum. Dicit dominus omnipotens. Secundum Iohannem.

Illo tempore. Dixit ihc turbis iudeorum. Non possum ego a me ipso facere quicquam. Sicut audio iudico. et iudicium meum iustum est: quia non quero uoluntatem meam sed uoluntatem eius qui misit me. Si ego testimonium perhibeo de me ipso: testimonium meum non est uerum. Alius est qui testimonium